



Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendæ**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§.9. Audiendos esse poenitentiæ prædicatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

peccauimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis. At si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Est ergo hæc altera caussa, ob quam nos bellis exercet, ut mundet, ac sanet; Ecclesiamque suam velut agrum sentibus obsitum purget. Nec antè cessabit, quam nos cessemus sentes, & spinas, & tribulos proferre. Vbi autem viderit, nos confiteri peccata nostra, quod maximè querit castigatione sua, & ipse gladium in vaginam reponet. Est enim velut peritus medicus, qui vt agrotantem febri liberet, chirurgo astat, eumque iubet venam agri secare, nec antè sinit fisti sanguinem, quam videat tantum emissum, quantum iudicat necessarium ad sanitatem: Ita Deus bella mitit & hostes, isti sunt Chirurgi Numinis, isti tam diu mittunt nobis sanguinem, donec Deus jubeat eum fisti. Non jubet autem, donec videat in nobis signa sanitatis. Signa autem sanitatis sunt, si ad eum conuertamur.

Quid moratur igitur? An nondum satis sanguinis misimus? An nondum satis percuti obstupescimus, neq; plagam sentimus?

IX.
AVDIEN-
DOS ESSA
POENIA

B

Itali

18 Cap. I. Que opera sunt, tempore belli,

PENTITIAE
PRAEFIDI-
CATORES.

Ion. 3. 4.

Itali saltem decimo turbarum suarum anno ad pœnitentiam eucurserunt, nos jam trigesimo anno hæc bella sustinemus, & quām pauci inde facti sunt meliores? Toties, tamque diu percussi nondum expurgiscimur. Cur alibi remedia quærimus? cur in sola potentia, pecunia, exercitibus nostris spem ponimus? Cur nunc in istum, nunc in aliud culpam reiçimus? Cur humana tantum consilia, & auxilia quærimus? Post omnia tentata & desperata, Eremita quidam vir spectatae sanctitatis spiritu diuino instans, ad populum dicitur processisse, eumq; Dei nomine monuisse, nisi ad pœnitentiam se conferrent, ac supplices pacem eius, & misericordiam postularent, fore, ut breui uniuersi misera fœdaq; lue conciderent. Non dicam de nostri temporis Prophetis, verbo, & calamo, serio ad pœnitentiam hortantibus: Nonnè cl̄m cœpit Jonas introire in ciuitatem itinere diei unius: & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur? Et crediderunt viri Niniuite in Deum: & predicaverunt iejunium, & vestiti sunt saccis à maiore usq; ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecti vestimentum suum a se, & induens est sacco, & sedis

Sedit in cinere. Et clamavit, & dixit in Niniue
ex ore regis, & principum eius, dicens: Homi-
nes, & iumenta, & boves, & pecora non gustent
quidquam: nec pascantur, & aquam non bi-
bant. Et operiantur saccis homines, & iumen-
ta, & clament ad Dominum in fortitudine, &
conuertatur vir à via sua mala, & ab iniqui-
tate, qua est in manibus eorum. Quis scit, si
conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à
furore ira sua, & non peribimus? Et vidit Deus
opera eorum, quia conuersi sunt de via sua
mala: & misertus est Deus super malitiam
quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non
fecit. Mirabile dictu. Niniuitæ homines
erant pessimi, idololatræ, vino, veneri, lu-
xui, impietati penitus immersi, & ad vo-
cem vnius Ionæ, hominis ignoti ac pere-
grini, credunt se interitum meruisse; dicit
vnus alteri, nec apud magnates dissimula-
tur, & peruenit verbum ad regem Niniue, nec
contemnitur, sed illico ab omnibus obedi-
tur, à minimo usq; ad maximum; usque ad-
cò, vt etiam infantes à lacte, iumenta à pa-
stu & potu debuerint abstinere, vnde ingens
& infantum ploratus, & matrum commi-
seratio, & pecorum mugitus clamorq; ex-
ortus, luctu & tristitijs omnia compleue-

30 Cap. I. Quæ opera sunt, tempore belli,

runt. Quam pœnitentiæ faciem etiam vnicus Eremita apud Perusinos introduxit. Hunc ergo siue Ionam, siue Eremitam & ego in publicum prodiens, hodie, imitor, & pœnitentiam prædico. Immò & alij me maiores, nimirum Episcopi ipsi, & ordinarij magistratus Ecclesiastici, qui etiam rogatu ipsius Serenissimi Electoris magis instigati, pœnitentiam, in omnibus cathedris prædicari voluerunt.

X.

EXEMPLA
POENI-
TENTIVM
SEQVN-
DA.

Itaque cooperemur Deo. Deus vult nos emendare; etiam ipsi igitur nos emendemus, & pœnitentiam agamus, vt *Deuoti* siamus, sitque annus iste *Generalis devotionis annus*. Habemus exemplum Niniuitarum, est positum ante oculos exemplum Italorum: Ut enim ibi vnum Eremitam secura est ciuitas Perusina, hanc autem vicinæ aliæ atq; aliæ; ita nos quoq; illas sequamur. Ideò enim hoc illorum exemplum est memoriarum traditum, vt sit posteris pœnitentiæ monumentum. Si ciborum lautias, si luxum vestium, si capillorum ornatum, si ritum bibendi, si alias vanas urbium aut regionum nouitates tam pronis animis imitamur, cur non & hinc exemplum trahimus, atque aliò propagamus? Illud sponte, atque in perniciem